

vel oppido penitentis. *Secundo*, quando alius, vel alii Sacerdotes nolunt, etiam vocati, & rogati, audire ejus confessionem. Tunc enim tantum valent, ac si absenti. *Tertio*, Quando infirmitas, aut necessitas ita urget, ut alius vocari non possit, esto sit in oppido. *Quarto*, Quando certo datur periculum infamiae, aut scandalum ex eo, quod Confessarius complex non absolvat penitentem in dicto articulo mortis. At quis Iudex hujus periculi? Quis regulam certam pro circumstantiis adeo variis, & contingentibus assignare valebit? Certum est teneri Confessarium *hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere, vel renovare, opportunis adhibitis mediis, ut alteri curvis Sacerdoti locus pateat illius confessionis absque ullius infamia, vel scandalo audiendae*. Alias absolutio erit illicita, & Confessarius incurrit excommunicationem majorem Pontifici reservatam. Timeo, ne haec censura suos labores, suave dubia non semel patiatur. Sed pro aliqua claritate.

362. Inq. 3. Quae media adhibere Confessarius complex debeat, ne censuram incurrat? R. 1. Hoc ejus prudenti arbitrio, & conscientiae esse relinquendum. Si enim coram Deo fecit, quod debuit, absolutio erit licita, & censuram non incurret. E contra illicita erit absolutio, censuramque incurret, si graviter negligat adhibere opportuna media. Sed hoc opus, hic labor: quanam sunt haec media? Dico igitur, quod Parochus verb. grat. habita notitia gravis infirmitatis penitentis, si moram patiatur, arripit iter proportionatum excusationi, monendo alium Sacerdotem, ut si opus fuerit, suas vices suppleat. Si autem ex inopinato vocetur ad confessionem talis penitentis, aliqua congruente excusatione exhibita: respondeat se non posse pro tunc accedere: in oppido esse Sacerdotem, qui pro nunc valeat sacramentum penitentiae ministrare. Si vero hoc non sufficiat, accedat ad aegroti domum, suadeatque, ut cum ipso nolit confiteri, quia non valet eum absolvere ex nova dispositione Pontificis, ac proinde alium vocet, eique confiteatur dicendo domesticis non se reperiri pro tunc in dispositione confitendi, vel post discessum Parochi vocet alium pro suo solatio. Haec, aut similia reputantur opportuna, & sufficientia media.

363. Sed quid, si penitens etiam suasus, quod alteri confiteatur, non acquiescat? Si hoc decidendum esset ex his, quae in Bulla *Pastoralis curae* habentur, dicendum foret quod supposita, reluctancia penitentis alteri confitendi, posset complex eum absolvere. Ibi enim monialis reluctanti confiteri Confessario designato alter plusquam semel conceditur; ita ut esto antea non esset approbatus, pro illo casu sit approbatus. Tamen quia in praesenti severius agitur, & alia motiva concurrunt, non ita decernitur. Dicendum ideo videtur non posse absolvi dictum penitentem reluctantem alteri confiteri, quia renuit subici Pontificiae dispositioni. Verum si adesset alia causa extrinseca magnae reluctanciae praesertim in foeminis, quarum fragilitas, & animi imbecillitas majori commiseratione est sublevanda, arbitror posse absolvi, suppositis aliis requisitis.

364. Inq. 4. Quis intelligatur Sacerdos in illa clausula: *qui munus Confessarii obire possit*? Aliqui putant intelligi quemlibet Sacerdotem, esto scientia, & prudentia non praeditum; eo modo, quo in articulo mortis ex dispositione Tridentini quilibet Sacerdos sufficit in alterius defectum ad absolvendum. Sed haec intelligentia nimis delicata est: alias Sacerdos haereticus, vitandus, aut etiam degradatus Confessario complicitate praefereendus esset, quod minime est presumendum. Ideo dicta clausula non materialiter, sed moraliter, & prudenter est intelligenda. Si enim adesset Sacerdos adeo simplex, ut vix sciret proferre formam absolutionis, ut aliquando se reperisse testatur eximius doctor; aut fere penitus ignoraret disponere, & instruere penitentem pro suscipienda absolutione, ut accidit multis praesertim musicis, qui plus numero sonoro, quam Theologiae vacant; hi inquam, & similes sunt, quasi non essent, quia inepte munus Confessarii obire possunt. Nam de istis potest quodammodo dici: *Ne tradas bestiis animas confitentis tibi*. Itaque in dicta clausula intelligitur Sacerdos, esto non approbatus, tamen aliquantum instructus, prudens, & cordatus, aut discretus in communi opinione, ita ut sciat praeparare, & disponere penitentem pro confessione rite faciendae, maxime pro ultima suae vitae.

365. Inq. 5. An idem sit articulus, ac periculum mortis? R. Quod licet idem sit, communiter; tamen quia aequaliter differunt in eo, quod periculum regulariter non adeo urget sicut articulus; ideo quoad praesens arguetur inspicienda est haec distinctio, ita ut supra dicta media congruenter apponi curentur. Praesertim praeveniatur monitio, si possit, ne Confessarius complex a penitente quaeratur, aut evocetur.

periculum mortis? R. Quod licet idem sit, communiter; tamen quia aequaliter differunt in eo, quod periculum regulariter non adeo urget sicut articulus; ideo quoad praesens arguetur inspicienda est haec distinctio, ita ut supra dicta media congruenter apponi curentur. Praesertim praeveniatur monitio, si possit, ne Confessarius complex a penitente quaeratur, aut evocetur.

## CAPUT IV.

## De casum reservatione.

Quamvis ex dictis, & ex dicendis in aliis tractatibus plura circa casuum reservationem pateant; in praesenti vero, tamquam in proprio loco aliqua, velut principia generalia praelibare oportet.

## PUNCTUM I.

## Definitio, &amp; divisio reservationis.

366. Inq. 1. Quid sit reservatio? R. Est *substractio, seu limitatio jurisdictionis circa aliquod peccatum, vel censuram, vel circa votum, aut juramentum*. Dari potestatem in Ecclesia reservandi peccata est de fide definitum contra haereticos a Trident. *Sess. 14. can. XI*. Ratio etiam idem suadet: quia omnis jurisdictionis inferiorum subordinata est potestati Superiorum: ergo possunt hi limitare eam pro quibusdam culpis atrocioribus, ut fideles difficultate absolutionis ab earum commissione absterneant. Nota casum reservatum differre a censura reservata in eo, quod in primo immediate reservatur peccatum; in secundo vero quasi mediate, hoc est ratione censurae, ut statim dicemus.

367. Inq. 2. Quotuplex sit reservatio? R. Est triplex; nempe *papalis, synodalis, & regularis*. *Papalis* est, quae a summo Pontifice provenit. *Synodalis*, quae a synodo, vel Episcopo peculiariter profluit. *Regularis* autem, quae a Praelatis regularibus oritur. Unde dantur casus, & censurae papales, synodales, & regulares. Censurae autem papales, de quibus tradit 36. n. 117. ferè innumere reperitur. Casus, & censurae Episcopis reservantur in triplici differentia. Alii enim reservantur ipsi communi, nec cessant eorum morte, aut

mutatione, nec tolli valent nisi a Papa. Alii in synodo, qui revocari possunt ab ipsius; non tamen solent nisi ab alia synodo, seu concilio provinciali. Alii quos ipsi sibi peculiariter reservant extra synodum, & durant pro eorum placito, cessantque regulariter ipsorum morte, aut mutatione; nisi ex consensu capituli illos reservent. Casus regulares sunt etiam in duplici differentia. Alii reservati in capitulo generali, vel provinciali, qui usque ad aliud capitulum respective durant. Alii quos Generales, aut Provinciales possunt sibi reservare, qui sunt undecim infra recensendi.

368. Inq. 3. An committens peccatum reservatum papalem verb. grat. haeresis, cui annexa est censura, incurrat casum reservationem, censura ob aliquam causam non incurta? R. neg. Quia esto aliqui oppositum adstruant, mihi tamen majoris ponderis est auctoritas Ben. XIV. qui conceptis verbis ait haerem mere internam non esse reservatam, posseque absolvi a quolibet Confessario hac ratione: *absolutio quippe ab haeresi est summo Pontifici reservata solum ratione censurae eidem haeresi annexae*: Unde aperte habemus ex mente sapientissimi Pontificis casus papales esse reservatos ratione censurae; ita ut licet casus sint reservati simul cum censura, hac tamen non incurta, reservati illi non maneant. Unde pariter incurta reservatione casus, & censura hac absoluta, jam casus non manet reservatus. Igitur idem est dicere casus papales esse reservatos ratione censurae, episcopales vero ratione gravitatis, ac dicere istos incurri etiam absque censura; illos non incurri sine censura; vel solum incurri ratione censurae, ut laudatus Pontifex inquit in *sinod. lib. 9. cap. 4. num. 4.*

369. Inq. 4. An ignorantia reservationis excuset ab ejus incurusione? R. Quod licet censura non incurtantur cum eam in ignorantia, quia tunc non adest contumacia; casus tamen reservati Episcopis incuruntur esto eorum reservatio ignoretur. Idem est de unico casu papali sine censura. Quia cum reservatio sit substractio jurisdictionis a Confessario inferiori, ignorantia penitentis nequit illam ei tribuere. Reservatio enim peccati absoluta est, non dependens a conditione notitiae, vel ignorantiae penitentis. Sufficit igitur; quod

penitens agnoscens gravitatem peccati, illud perpetret, ut reservatum maneat; quod optime cohaeret communi proloquio supra indicato, quod hi casus reservantur ratione gravitatis. Hoc est, non ratione censura, sed ratione solius gravitatis, qua cognita, nihil deficit reservationi. Sicut ergo licet si quis erronee putans peccatum esse reservatum, illud committeret, non maneret reservatum; ita si esto ignorans esse reservatum, illud perpetret, reservatum manet, quia error, aut ignorantia penitentis nec tribuit, nec tollit Confessario jurisdictionem.

370. Inq. 5. Quae sit materia reservationis, vel quae peccata reservari possint? R. Peccata venialia, non omnia, sed aliqua posse reservari; tamen de facto non reservantur, nec utile esset. Nam esto iurisdicatio ad illa absolvenda ab Ecclesia proveniat, ex una parte omnia confiteri non est moraliter possibile, & ex alia potest obtineri absolutio absque eorum manifestatione. Idem est de peccatis gravibus rite confessis. Peccata vero interna licet etiam reservari valeant, hucusque tamen nullum est reservatum ab Ecclesia, nec expedit reservari; actus quippe interiores sunt frequentes, & molesti, ac difficile cognoscuntur. Unde solum sunt reservata peccata externa gravia, in sua linea completa, & consummata, imo & certa; nam dubia dubio facti minime sunt reservata, nisi superior id aliquando exprimat. Unde si homicidium verb. grat. reservetur, non sufficit percussio gravis, etiam animo occidendi facta, nisi de facto ex percussione per se lethali sequatur homicidium, & sic de caeteris. Quando casus reservatur effectu secuto, ut procuratio abortus, non manet reservatus, nisi sequatur effectus. Si reservatur verb. grat. percussio patris, non sufficit, ut quidam asserit, quod filius vibret ictum, si reipsa non feriat, quia ictus vacuum revera non est percussio, sed gravissima injuria, quae valde differt a percussione, & potest reservari propriis terminis.

371. Inq. 6. Quod sit subiectum reservationis, vel qui illum possint incurrere? R. Omnes fideles post usum rationis posse incurrere reservationem, excepto Papa, qui cum careat alio sibi superiore, nullius reservationi subicitur. Caeteri vero ob

oppositam rationem superioris reservationis subduntur. Disputatur de valore reservationis excessivae, seu indiscretae. Verum mihi sine dubio valida est. Possunt utique subditi appellare ad superiorem de injustitia, aut nimio rigore; interim tamen valida est reservatio, quandiu non moderatur. Quod autem non excessiva, sed moderata debeat esse casuum reservatio, & rationi congruit, & ex iterata declaratione sac. congr. habetur apud Bened. XIV. in Synod. lib. 5. cap. 5. num. 4.

372. Inq. 7. Quos casus valeant reservare Praelati regulares? R. Generales pro sua religione, & Provinciales pro sua provincia solum posse reservare undecim casus sequentes. 1. Apostasia etiam retento habitu. 2. Nocturna, ac furtiva egressio a monasterio. 3. Veneficia, incantationes, sortilegia. 4. Proprietates contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale. 5. Furtum mortale de rebus monasterii. 6. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 7. Juramentum falsum in iudicio legitimum. 8. Procuratio, consilium, seu auxilium ad abortum foetus animati, etiam opere non secuto. 9. Oecisio, seu vulneratio, aut gravis percussio cujuscumque personae. 10. Falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterii. 11. Malitiosum impedimentum, retardatio, aut aperitio litterarum a superioribus ad inferiores, vel e contra. In capitulis generalibus, aut provincialibus possunt alii casus reservari, si id expediens superioribus visum fuerit. Omnia constant ex motu proprio edita Clem. VIII. 1593.

## PUNCTUM II.

### De potestate Episcopi in reservata.

373. Inq. 1. an Episcopi valeant absolvere ab haeresi externa occulta? R. Quamvis aliqui absolute asserant ex cap. *Licet Episcopis*, et novissime P. Belza in suo *Cliquet tract.* 6. cap. 10. n. 17. nos tamen rotunde negamus, ubi viget Tribunal S. Inquisitionis virtute privilegiorum a Sede Apostolica dicto Tribunali concessorum: ut videre est in suo edicto dato 10. Maii 1732. in quo declarat mentem Sedis Apostolicae, praesertim Alexandri VII. et facultates dicto Tribunali concessas his verbis: "Y por-

"Y por que lo mandado por su B. tenga debido cumplimiento, y execucion, por el tenor del presente edicto os mandamos, que obedezcais, guardéis, y cumplais el dicho decreto Apostolico segun, y como en él se contiene, declarando, como por esta declaramos, que lo que en algunas clausulas del dicho decreto se dice de la cumulativa de los Ordinarios, se entienda de en aquellas Provincias, y lugares donde no hay exercicio del santo Oficio de la Inquisicion, segun la practica, estilo, y costumbre de la España, porque en ella, y sus dependientes toca privadamente el conocimiento, y delacion de semejantes causas á Nos, y á los Tribunales del santo Oficio, sugetos á nuestra Jurisdiccion por la autoridad Apostolica en esta parte á Nos concedida." Item in alio ejusdem tribunalis edicto dato die 3. Aprilis 1635. ita se explicat: "Debemos confiar, que todos los fieles, Confesores, y penitentes estarán en este claro conocimiento, para recurrir en este desgraciado caso de la heregia al seno unico del santo Oficio, donde está el remedio de sus almas, y muy abiertas las entrañas de la caridad para su benigno socorro." Denique ita declaravit Supremus Senatus Castellae decreto edito Matrili anno 1732. Ergo facultas Episcopis tributa a Concilio Trid. dicto cap. non tenet in Hispania in materia haeresis externae, ad huc occultae.

374. Hinc sequitur 1. quod Episcopi possunt absolvere sive per se, sive per alios a caeteris casibus, & censuris Papae reservatis, quando sunt occulti, dispensareque in irregularitatibus, ad forum contentiosum non deductis, prout in dicto cap. trident. eis concedit. idem valent circa censuras, et casus, etiam publicos, cum impeditis recurrendi ad sedem apostolicam, prout in jure eis conceditur: cap. *Mulieres*, et cap. *Quamvis*; de sentent. *Excommunic.* Possunt etiam absolvere a reservatis, non solum in sua Synodo Episcopali, sed etiam in provinciali, ait Benedic. XIV. Synod. lib. 5. cap. 4. n. 3.

375. Inq. 2. An facultas Episcopis a Trident. concessa intelligatur etiam pro casibus, & censuris occultis post concilium Papae reservatis? Alii negant, alii affirmant. R. Tamen extendi ad omnes, nisi

in nova constitutione adjiciatur aliqua clausula restrictiva, seu derogativa Concilii, ut etiam in casibus occultis, vel non obstante cujusvis Concilii decreto, aut alia similis, quae sufficiat ad derogandum praedictae concessioni. Quidquid alii dicant, indutum Tridentini extenditur praeter Episcopos ad alios etiam Praelatos inferiores habentes territorium separatum, & jurisdictionem quasi episcopalem. Tum quia alias ipsorum subditi, cum alio careant Ordinario, carent etiam solatio, & remedio, quo fidelibus subvenire voluit Tridentinum. Tum quia similes Praelati possunt in proprio territorio, quidquid Episcopi in suo, *is tantummodo exceptis, quae dependent ab ordinis potestate*, ait Bened. XIV. ubi supra lib. 13. cap. ult. num. 2.

376. Inq. 3. Quot sint casus sui censurae Episcopis jure communi reservati? R. Esse novem sequentes. 1. Percussio levis clericus, quae sit peccatum mortale. 2. Extractio privata confugiti ab Ecclesia. 3. Participatio in crimine criminoso cum excommunicato ab Episcopo. 4. Excommunicatio lata in generali ab Episcopo, quae licet sit ab homine, etiam reservatur eidem Episcopo jure Pontificio. 5. Procuratio abortus foetus animati effectu secuto. 6. Visitatio infirmi facta a medico, cui non constat de illius confessione, postquam illum graviter aegrotantem tertio visitavit. 8. Omnes censurae occultae Papae reservatae. 9. Omnes censurae, & casus etiam publici, quando adest legitimum impedimentum Sedem apostolicam adevendi. Ex cap. *Mulier*. ex cap. *Quamvis*.

377. Inq. 4. Quot sint impedimenta excusantia adire Pontificem pro absolutione? R. Aliquos illa numerare usque ad septendecim, ex dictis capitibus: omnia tamen reduci ad duo; nempe ad impedimentum physicum, & morale. Sive enim impedimentum proveniat ab etate puerili, senectute, debilitate, aut infirmitate; sive a conditione status regularis; muliebris, conjugati, servilis, vel alterius cujusvis excusationis, reducitur ad unum ex illis duobus. Igitur, stante impedimento physico, vel morali, ne Pontifex adeatur, adire debet Legatus, si possit, nisi Episcopus gaudet speciali privilegio, quo in casu, & etiam dum adest accessus ad Legatum, valet Episcopus a casibus, & censuris pa-

palibus absolvere. Quamvis autem quidam sentiant impedire personaliter accedere ad Papam, non teneri, nec per epistolam curare facultatem absolvendi; verum securius, imo, & probabilius est oppositum, nisi nimia distantia, aut periculum grave in mora excuset. Et hanc praxim conspiciamus in Urbe, ad quam passim perveniunt epistolae supplices pro facultate absolvendi.

378. Inq. 5. Quid faciet Confessarius, si ad eum hæreticus occultus accedat? R. Juxta dicta, & presentem disciplinam debet illum remittere ad tribunal Inquisitionis, ut se prodatur saltem coram eo Inquisitore, & Notario; vel ad Episcopum, ubi tribunal non est, ut idem efficiat. Sed quid, si nolit, aut non audeat? Quid, si sit foemina, quæ potius velit mori sine confessione, quam sic se prodere? Non adest remedium. Quamvis enim quidam pii, ac docti authores scripserint in his angustiis posse peti, & obtineri facultatem absolvendi ab Episcopo, seu Inquisitore, pro foro conscientie, jam aliter res se habent. Vide Benedic. XIV. in synod. lib. 9. cap. 4. num. 9. Dices: idem Pontifex testatur ibi cap. 5. quibusdam Episcopis concessam fuisse facultatem absolvendi ab hæresi: erg. ea gaudent saltem illi? R. Hoc imprimis probare Episcopos jam non habere talem facultatem, quam concilium eis concessit, sed aliam a Papa delegatam. Deinde probat illos Episcopos illam habuisse ad tempus, quia illam petierunt. Probat denique, quod si Episcopi, aut etiam Inquisitores illam postulent pro foro interno tantum, ut videtur expediens ad subveniendum peccatori occulto in foro conscientie, illam impetrabunt, ut ibidem innuit laudatus Pontifex. Dicitur pro foro interno tantum, quia pro utroque foro simul, quando reus denunciatur, vel sponte se prodit, illam habent respectu ordinariam dignitati annexam.

### PUNCTUM III.

#### De facultate regularium in reservata.

379. Inq. 1. Quid possint regulares in hac materia respectu suorum subditorum? R. Posse id ipsum, quod Episcopi respectu suorum. Constat ex Bulla incipiente Ro-

mani Pontificis edita a S. Pio V. 21. Julii 1571. Hoc est certum; possunt etiam Prælati regulares absolvere suos subditos ab undecim casibus, quos supra diximus posse sibi reservare; quia nemo valet reservare, quod non valet absolvere. Unde cum unus ex illis sit percussio clerici, possunt ab ea absolvere suos subditos, licet Episcopi id non possint, quando est publica. Si religiosus alterius monasterii religiosum hujus, vel diversi Ordinis percusserit, ab utriusque Superiore absolvendus est, ut videtur ex cap. Cum illorum, de sent. excom. ita ut, absolutio, & pœnæ executio a Superiore percussoris fiat tamquam a Judice ordinario, præsentem tamen, & consentiente offensi Superiore, tanquam actore: nisi velit iste totum negotium alteri demandare, si vero mutuo se percusserint, quilibet Superior suum subditum absolvere valet. Nomine Prælati regularis intelliguntur Generales, Provinciales, & etiam Priores conventuales, ut expresse habetur in dicta Bulla. Apud nos etiam veniunt Prælati numine Vicarii generalis, Provincialis, & Prioris electi a Difinitorio Provinciali, quia sic sunt veri & proprii Prælati a jure. Quo ad cæteros regulares unusquisque consulat præteritas constitutiones. Nullus Prælati regularis potest absolvere, etiam proprium subditum, ab hæresi externa, quantumvis occulta, saltem in Hispania, quia ibi privative spectat hoc crimen ad tribunal Inquisitionis. Quod autem Prælati regulares nequeant ab ea absolvere sæculares, constat ex propos. 4. damn. ab Alexand. VII. Prælati regulares possunt in foro conscientie absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursum.

380. Inq. 2. An Superiore injuste negante facultatem absolvendi subditum a reservatis penitens possit absolvi? R. Sub distinctione. Vel enim est Superior secularis, & respectu sæcularium; vel Superior est regularis, & respectu regularium. In primo casu nullatenus potest absolvi, quia denegatio facultatis, esto injusta, valida est, prout de reservatione excessiva dictum est supra. In secundo casu potest Confessarius regularium pro illa vice penitentem regularem absolvere a reservatis ex concessione Clem. VIII.

381. Inq. 3. An semper teneatur Super-

rior

rior concedere Inferiori petenti facultatem absolvendi a reservatis? R. neg. Aliquando enim tenetur, ut, si ex opposito sequeretur nota, infamia, scandalum, aut aliud grave dispendium penitenti. Aliquando vero non tenetur, nisi ex pietate & gratia, ut, quando nihil dictorum timeatur. Hæc distinctio pro dispensatione concedenda fusius explicatur tract. 3. a num. 323. Expedit autem omnes Prælatos mitēs esse in hac parte: Quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam ut talis peccatum tali Sacerdoti confiteantur, inquit D. Thom. 4. dist. 17. q. 3. a. 3. q. 4. ad 6.

382. Inq. 4. An regulares possint absolvere a casibus Episcopo reservatis? R. neg. Constat ex propos. 12. damn. ab Alex. VII. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate. An autem idem sit de casibus a jure Episcopis reservatis? Pater Cuiuslibet affirmat in præsentem, imo est certa sententia, inquit. Sed certe fallitur; nulla enim sententia est certa sine fundamento certo, hoc autem non producit; quia imo ex laudato a Cuiuslibet oppositum colligitur. Nam Clem. X. in Constitutione Superna, in qua id prohibet regularibus, loquitur clare de casibus ab Episcopo sibi reservatis; & §. (non 6.) sed 7. post verba a Cuiuslibet de prompta, sic immediate prosequitur: Posse autem regularem Confessorem in ea Diocesi, in qua est approbatus, confluentem ex alia Diocesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere. Erg. loquitur de casibus non a jure, sed ab Episcopo sibi reservatis. Patet consequentia; quis casus a jure Episcopo reservati idem sunt in omni Diocesi. Est igitur sententia negans posse regulares absolvere a casibus Episcopis, etiam a jure reservatis, probabilius; sed non certa. Si Episcopus alieni concedat facultatem, quæ gaudet, absolvendi, sibi a jure, & ab homine reservata; poterit delegatus absolvere ab omnibus sine exceptione alicujus casus episcopalis.

383. Inq. 5. An ad derogandum privilegiis regularium in reservata sufficiat, quod Pontifex reservet sibi casum, aut censuram sine alio addito? R. Quod licet Pontifex possit revocare privilegia regu-

larium, prout sive expediens videatur; tamen ad eorum revocationem requiritur aliqua peculiaris expressio sue voluntatis, quia requiritur, quod privilegium innotescat mens, & intentio revocantis. Sed P. Cuiuslibet cap. 4. de Penit. §. 12. num. 6. ait cum Passerino sufficere ad intentum, Papam reservare sibi casum, aut censuram. Hoc autem gratis asseritur. Quid enim concederet privilegium absolvendi a reservatis, si sufficit reservatio ad illud annullandum? Omnis Confessarius valet absolvere a censuris non reservatis: erg. Si privilegiatus nequit absolvere a reservatis, eo ipso quod sint reservata, frustraneum, & illusorium est privilegium, ideo dum Pontifices volunt censuras sibi, aut Episcopis reservatas non absolvi a regularibus, id provide expriment, uti videre potest quilibet etiam in eadem Bulla Superna.

384. Quid habeatur circa absolutionem a reservatis in decreto Clem. VIII. ? R. quod Paul. III. in Const. que incip. Cum inter cunctas an. 1545. die 3. jul. concessit regularibus facultatem absolvendi in foro tantum conscientie sæculares ab omnibus casibus & censuris Papæ reservatis, exceptis tamen contentis in Bulla cœnæ. Postea nempe an. 1602. die 26. Nov. Clem. VIII. limitavit dictam Const. ne regulares intra Italiam, & extra Urbem absolverent a violatione immunitatis ecclesiasticæ, & clausura monialium ad malum finem, crimine duelli, violenta manuum injectione in clericum, simonia reali, ac etiam confidentiali in beneficiis. De cæteris autem ita loquitur: ac propria declarat posse juxta eorum privilegia, indulta, & facultates, usu ante idem decretum receptas, absolvere a casibus in presenti declaratione non comprehensis. Nota 1. Decretum hoc nihil innovasse in const. Paul. III. extra Italiam, ut postea, nempe anno 1628. die 17. Nov. declaravit Urb. VIII. his verbis, Siquidem regulares habent a Sede apostolica absolutam facultatem, illamque extra Italiam minime sublatam fuisse decretis hac de re editis jussu S. mem. Clem. VIII. Neque intra in aliis casibus in suo decreto non comprehensis.

Nota 2. in illo omissa fuisse illa verba clare aut dubie possita in alio anni antecedentis (quod hoc secundo in multis mo-

deravit) & prudentissime, quia peccata dubia, saltem dubio facti, non expedit reservari.

385. Aliud decretum prodiit de mandato Clem. XI. die 13. Maii an. 1711. reservans eodem modo alios casus: sed cum hoc solum dirigatur ad confessarios privilegiatos Romæ degentes, ut constat ex verbis ipsius decreti apud P. Ferrar In novissima editione verb. absolvere, art. 1. n. 47. omittitur in presenti. Nota tamen regulares parce, & cum grano salis his facultatibus uti debere, nempe pro cassibus occultis, in foro conscientia in tra confessionem, & cum approbatione suorum Superiorum ad audiendas confessiones, aliter non ceasentur privilegiati.

#### PUNCTUM IV.

##### De absoluteione a reservatis.

386. Inq. 1. Quis possit absolvere a reservatis? R. posse illum, qui reservavit, ejus successorem, aut Superiorem in jurisdictione; & etiam ab eo delegatum. Si reservans non esset Sacerdos, tunc deberet deputare alium, vel alios pro absolvendis a sibi reservatis. Igitur Pontifex in universa Ecclesia, Episcopi, & eorum Vicarii generales in suis Diocesisibus, & Prælati regulares in propriis ditionibus, ac eorum delegati, vel privilegia habentes valent a reservatis respective absolvere. Archiepiscopus solum id potest in Diocesisibus suffraganeis, dum actu visitat, nam solum tunc est Superior in jurisdictione, seu in illo foro.

387. Inq. 2. An peccatum confessum, & absolutum ut dubium in materia reservata, sit denuo confitendum Superiori, si postea constat esse certum? R. Quod licet sententia negativa probabilitate non careat, tamen affirmativa est tenenda: quia tale peccatum est tantum confessum, & absolutum ut dubium, ergo debet fieri ut certum, non solum ut peccatum, in quo omnes conveniunt, sed etiam ut reservatum. Dubium enim, non tribuit Confessario facultatem in peccatum vere reservatum, ergo esto bona fide absolvetur illud ut dubium, non tamen substulit reservationem; hæc quippe solum tolli-

tur a Superiore, vel ejus facultatem habente. Unde solum, quando Superiori fieret Confessio, tolleretur reservatio, ut de peccatis oblitis probabiliter censeo.

388. Inq. 3. An peregrinus bona fide veniens ex alia Diocesi, possit absolvi a reservatis? R. Triplici modo posse accidere casum. Vel enim peccatum est reservatum in utraque Diocesi, vel solum in loco, e quo discessit; vel denique est reservatum, ubi confitetur, non vero ubi peccavit. In primo casu omnes conveniunt non posse absolvi, nisi ab habente facultatem in reservata, quia velut continuatur moraliter reservatio. In tertio eventu etiam communiter idem assertitur, quia Confessor ordinarius caret facultate ad talia peccata absolvenda in Diocesi, ubi excipit confessiones. In secundo vero casu probabiliter affirmatur posse absolvi peregrinum, dummodo non in fraudem reservationis, sed bona fide accedat; quia cum in loco confessionis non sint illa peccata reservata, Confessarius gaudet facultate ad ea absolvenda.

389. Veritatem hujus sententia quoad Confessarios regulares approbatos ab Ordinario loci declarat Clem. X. in constitut. *Superna*, ut diximus n. 382. At de cæteris Confessariis oppositum tenent Soroto, Graffius, Fagundes, Nuno, Comitulus, Fagnanus, & alii Doctores graves. Nihilominus P. Concina in presenti affirmativam, & nostram amplectitur sententiam, quia dicit esse *probabilior*em. Apagel! Ergo jurisdictio probabilior sufficit pro conferendis sacramentis. Non igitur passim declamet contra gravissimos auctores, idem solido fundamento asserentes.

390. Inq. 4. Quotuplex sit facultas delegati in reservata? R. Posse dupliciter haberi. Vel directe, vel indirecte. Primo modo habetur a Confessario, cui Superior delegat facultatem, vel ad aliqua, vel ad omnia reservata; vel pro una, vel pro tot vicibus, vel absolute, vel sub aliqua conditione. Secundo modo habetur, quando penitens obtinet privilegium, ut absolvetur a reservatis, ut accidit in habente Bullam cruciatæ. Igitur delegatus absolvere valet juxta modum in facultate sibi directe, vel indirecte concessa. Si facultas petatur, vel detur Confessario ad absol-

ven-

vendum quandam penitentem, non potest hac facultate uti Confessarius, ut ipse ab alio absolvetur; quia Superior tunc concedit facultatem Confessario, ut alium absolvat; non vero, ut absolvetur ab alio, nisi hoc etiam exprimat, simul indulgendo potestatem subdelegandi illam alteri, quo in casu poterit ipse etiam a subdelegato absolvi.

391. Inq. 5. An facultas absolvendi petita, & obtenta pro hac vice, extendatur etiam ad peccata commissa post confessionem, & ante confessionem? R. Hoc pendere ex modo concessionis: si enim concedatur facultas pro commissis, vel pro premissis, vel pro expositis, aut narratis, vel pro peccato semel, aut toties commisso, non extenditur ad postea commissa, quia modus concessionis indicat restringi ad præterita. Si vero concedatur indefinite pro una vice, extenditur ad omnia reservata ante illam confessionem perpetrata, & sic intelligitur clausula cruciatæ *semel in vita*; hoc est, quod possit absolvi semel ab omnibus peccatis ante illam absoluteionem commissis, excepta hæresi externa. Quod peccata committantur in confidentia facultatis obtinenda, non illam irritat, quominus ex obtenta absolvi possint, nisi aliud a Superiore exprimat. Debet tamen prava confidentia manifestari in confessione; prodiit enim effrahem peccandi libidinem.

#### PUNCTUM V.

##### Alia dubia de absoluteione a reservatis.

392. Inq. 1. An quando penitens accedit cum reservatis, & non reservatis possit ab istis directe, & ab illis indirecte absolvi a Confessario inferiori? R. Non posse extra casum necessitatis: quia confessio debet esse integra; non autem est integra respectu Confessarii destituti facultate aliqua peccata absolvendi. Ideo extra casum necessitatis Confessor inferior remittere debet penitentem reservatis innodatum ad Superiorem. Neque Superior valet audire sacramentaliter tantum peccata reservata, & remittere inferiori pro absolvendis non reservatis, sed debet auferre pro tunc reservationem, & sic remittere inferiori pro absoluteione om-

nium; vel ipse omnia audire, & absolvere: talis peccat contra sacramenti integritatem.

393. An autem in casu necessitatis ratione scandalii, aut infamie possit dictus penitens absolvi ab inferiori directe a non reservatis, & indirecte a reservatis non parva dissensio est inter AA. Nihilominus quandiu Ecclesia aliud non declaret, tenenda est cum D. Thomæ sententia communior affirmativa, quam etiam, esto inconsequenter, amplectitur Concina in presenti, admittendo usum jurisdictionis probabilis. Probat assertio duplici ratione. Prima: ideo extra necessitatem nequit dictus penitens sic absolvi, quia obstat integritas confessionis; sed stante periculo infamie, non obstat integritas confessionis, quatenus hæc non obligat cum gravi detrimento famæ, ut suo loco diximus; ergo valet absolvi. Secunda ratio sumitur ex Bulla *Agostolici maneris*, reprobativa absoluteionis complicis veneret, quæ non solum valida, sed etiam licita: declaratur in articulo mortis, adstante vero periculo infamie, ergo, si hoc permittitur ab Ecclesia circa peccatum, alias plusquam reservatum, satis colligitur, quod ratione periculi infamie possunt absolvi saltem indirecte peccata reservata.

394. Dices: Non tenet paritas; ibi quippe sermo est de articulo mortis: in presenti vero agitur de absoluteione extra mortis articulum. R. Tenere paritatem, non in omnibus, sed in eo, quod spectat ad licitum absoluteionis ratione periculi infamie. Quoniam, secluso infamie periculo, illicite absolvit Confessarius complicem venerem, adstante alio Sacerdote; & juxta primam Bullam *Sacramentum penitentia* etiam invalide; in secunda autem Bulla moderata est prima ratione periculi infamie; ergo, hoc existente, vult Ecclesia absoluteionem Confessarii esse validam, & licitam. Quod intelligitur circa peccata regulariter reservata; non de peccato complicis veneret extra articulum mortis, de quo adest peculiaris dispositio;

395. Confirma ex D. Thomæ. In supplemento q. 9. articulo 4. Ubi cum sibi objicisset, non semper debere esse integram confessionem, quia quandoque Sacerdos nequit absolvere de omnibus peccatis, sic respondet: *Ad quartum dicendum, quod etiam*

